

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Evangelicae Veritatis Atlantes Praecipvi, Mart. Lvthervs,
Et Mart. Bvcervs, Martinvs Chemnitivs, Et Ioannes
Gerhardvs, Svb Solennia Illvstris ...**

Vockerodt, Gottfried

Gothae, MDCCXXVI.

VD18 13389106

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-199864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-199864)



129 D. 7

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.

16. Q. D. B. V.
EVANGELICAE
VERITATIS
ATLANTES PRAECIPVI,
MART. LVTHERVVS, ET MART. BVCERVVS,

MARTINVS CHEMNITIVS;

ET

IOANNES GERHARDVS,

SVB SOLENNIA

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI

LVSTRANDI

AVSPICIA,

*TANQVAM SAPIENTIAE THEOLOGICAE
MVNITAE EXEMPLA PROBATISSIMA,*

LAVDANDI, ET COMMENDANDI DISCENTIBVS
PVBLICIS SERMONIBVS

CHRISTIANI VALERIANI BOETTICHER,

CHRNICHFELDENSIS,

HENRICI GOSWINI FERNEKORN,

SVSATENSIS,

IOAN. FRIDERICI REICHARD,

GOTHANI,

PROPOSITI

A

RECTORE

GOTHOFREDO VOCKERODT.

GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.

MDCCLXXVI.



Grammatica theologia, siue depromenda ex diuinarum litterarum monumentis, & linguarum, quibus initio illa descripta sunt, notitia curatioris salutis scientia, quamdiu neglecta, vel explosa fuit, non est mirum, laborasse diuinorum mysteriorum noscendorum, aliisque tradendorum rationem. Solenne est ingenio humano, dum vitia fugit, currere in contraria; nec cautius adeo quisquam est, vt sine diuino munere, ac lumine ab ista labe, lapsuque uercordiae perstet intactus; nec tam beatos miseros mortales, vt medium teneant, decurrantque in recta ad salutem via, quicquam praestat, quam diuina autoritas, & huius disertis, & indubitata testificatio: cui obsequi oportet a recto alias abhorrentem humanam cupidinem; nec temere ipsa ratio refragatur, quamuis ita deprauata, vt in luce caecitare malit, quam intercedere, quo minus quisque sua trahatur libidine, vel voluptate ducatur, & corporis oblectamentis, si hilarioris fuerit indolis, vel si in altitudinem, & tristitiam conditus, sui caecatus amore vana efferatur gloria. Quos humani animi morbos nemo sanauit, nec sanabit de rebus diuinis, humanisque philosophando, vel rhetoricando. A corporis deliniendi studio qui recesserunt, in cura, culturaque bonae mentis varie peccarunt, inductique sunt in opiniones falsas, errores turbulentos, superstitionesque aniles, vt delirare crederentur. Nec Empedocles solum in deorum opinione turpissime lapsus est,

est, Deus immortalis haberi dum cupit, Aetnam frigidus insiliens; sed defuerunt nunquam, nec deerunt, qui diuinarum rerum studio tactos, ductosque utcumque cum se senserint, repente diuinos se factos credunt, atque ita insulescunt ingenii, opinionis, & studii fiducia, ut, conuersi ad admirationem sui, viuentes, posterosque eo velint conuerti. Cui insaniae sanandae aptius, & accommodatius contingere nihil posse, constat, Mosis, & prophetarum, Christi, & apostolorum placitis, arguentibus, damnantibusque non in oculos, & vuculas multitudinis solum incurrentes corruptelas, & quae corpore, & externo opere perficiuntur, praua destinata; sed labem interiore, motusque animi a conditore NVMINE vance amando, & honorando aberrantes, conuersosque ad huius vitae pretia, pro cupidinis vanitate deligenda, & abutenda ad libidinem: maxime autem ad se ipsos admirandos, efferendosque quacunque ratione: atque dum hic nullus mortalium, suis relictis viribus, satis cautus, castusque est, reuocantibus omnes, quamuis recte, & religiose agendi formulam spectatissimam prae se ferentes ad noscendos seipsos, & animaduertendum, si suis niti viribus in via salutis voluerint, & habitare secum, quam curta, vel nulla supellex sibi sit, quam nihil frugis bonae? quam perniciosus erroribus, falsis opinionibus, deprauatis iudiciis oppleta sit mens, & hebetata in vero, rectoque diiudicando? quam ab eodem deligendo alienatus sit animus, quam distractus studiis, saluti contrariis, quam tardus ad hanc serio expetendam, & relictis huius vitae curis rite, & impensiore studio consecretandam? quam insidiose, si imperiose non amplius licet, intercedat recte prouisis, consultis, destinatisque cupiditas, excusata consuetudinis vetustate, & honestate, palliata innumeris liciti, honesti, decori nominibus, defensa suspiciendorum exemplorum patrociniis, sui-que humanae vanitati commendata lenociniis? In qua perturbatione, & desperatione mali remediorum, ab humano consilio, & virtute expectandorum, dum medici e coelo missi sermo nuncius increbrescit; lex autem irae diuinae sensum tunc maxime asperat, sicut nihil illo sermone est consolabilis: ita nemo rebus humanis optatior, & expectatior esse potest, quam legitimus, & idoneus eius interpret, vim euangelicae veritatis expertus in se ipso, atque huius virtute excitatus, & quibus opus est, ad mysteria salutis in diuinarum litterarum monumentis pernoscentia, & peruestiganda, nec non explananda praesidiis satis instructus, nimirum linguarum, & antiquitatis scientia, non ecclesiasticae solum; sed & philosophicae. Adhuc enim ratio, fidei, & pietati religiosae contraria, non desinit esse architecta stropharum, quibus illa oppugnatur: quas eiusdem assertores eo confidentius explodunt,

quo euidentius, fraudem antiquam esse, possunt ostendere, nec fingi, dici-
que a profanis, quod non dudum dictum, fictum, & diuini verbi luce, &
vi profligatum sit. Sicut Mosis Iannes, & Iambres, Christo, & apostolis ex
popularibus, qui pro verbo prophetico sua obtrudebant commenta; ex gen-
tilibus mirandis factis, & pie dictis celebratus Apollonius obiecti, iactatique
sunt paria, si non maiora, illis facere, nec minus dicere speciose: Iulianus, cum
infectando, & obrectando aduersus placita, & mores Christianorum parum
proficeret, frustra in suas partes sollicitasset Basilium, cuius sapientia, &
pietate res Christiana tunc maxime ornabatur, huius pia instituta aemulari
non dubitauit, habuitque militaris sobolis educandae, & emeritos, vel mi-
seros subleuandi eam rationem, quam illum vidit habere in Christiana iuuen-
tute instituenda, & orbitate solanda: atque cum frustra euangelicam veri-
tatem huius inimici extinctum, vel inhibutum iuissent saeuendo flammis in
Hussum, & Sauonarolam, vindicesque acriores isto pacto prouocarentur,
aliter scena componenda illis visa est, non ad sanandam ecclesiae labem, &
profligandam impietatem, & superstitionem barbaram; sed harum utrun-
que velandam turpitudinem; in quo spectata maxime fuit patrum Triden-
tinorum industria: ita nostra tempestate non desunt, qui inuisae veritatis vim
dum non sustinent, nec aduersus solem loqui volunt videri, palam illi non
obrectant; sed quantum in ipsis est, hominum, maxime iuuenum, ani-
mos ab illa auertere, & reuocatis dudum explosis philosophematibus ita oc-
cupare, & distrahere laborant, ut ad Mosen, & Christum non possint respicere.
Fuit, qui ne nouorum commentorum vanitas in luce eruditae antiquitatis
argui, proscribique posset, vetusta litteraria monumenta pleraque recens Fri-
derici II. Imp. auspiciis ficta, & imperitae posteritati obtrusa esse, contendit.
Ita prouidendum fuit, si ad nouum foetum ex philosophandi libertate na-
tum, THEODICES nomine cum summo PROBABILISTARVM, & qui
philosophice peccandi licentiae, opportuna illius famulae, pariendae insu-
darunt, applausu exceptum, nouus quasi MVHAMMED suscipiendum, &
quacunque ratione obnoxiae multitudini commendandum, sicut Roboamus
idola Danica, & Bethelina subiectis sibi tribubus, posset induci, ne non
magis certa, & probabilis esset auctoritas Mosis, Christi, & veteris Muham-
medis placitorum, quam commentorum Theodiceorum, a nouo Muham-
mede orbi obtrudendorum. Adeo pertinax nostra tempestate est profa-
norum ingeniorum Gigantomachia, & indefessum studium IOVAE, & quem
e coelo misit, filii statuta euertendi, vel irrita reddendi, quo crebrius, copio-
sius, nixidius illa publicantur, & plurium nationum linguis enunciata, & de-
scripta

scripta inter extremos etiam orientis Indos, qui Malabarice edita diuina monu-
 nimenta intelligere possunt, circumferuntur. Sed eo minus dubitari potest
 de diuini verbi victoria, quam Rupertus Tuitiensis non temere ausus est sin-
 gulari libro asserere, & ex omnibus retro seculis repraesentare. Illustrant
 hanc maxime victoriam viri docti, quibus cordi fuit olim, & nuper demon-
 strare, cultissimas gentes, & nationes, quae caeterum sapere sibi visae sint,
 diffusas tamen humani ingenii commentis, & philosophandi libertati in con-
 stituendo cultu diuino, & certas credendi, agendique formulas ab idoneo
 autore accipere, quam excogitandas philosophantibus maluerint permittere;
 nec obscura esse vestigia deriuatae ex diuinis Iudaeorum monumentis, & a
 scriptore antiquissimo, Mose, & sapiendi, & diuinitatem colendi rationis,
 pro cuiusque nationis captu, & statu interpolatae. Ex instituto id agunt
 EVANGELICAE DEMONSTRATIONIS autores doctissimi, recentior,
 Petrus Daniel Huerius, non minus, quam vetus, Eusebius Pamphili; nec ne-
 gligunt, aduersus gentes quotquot scripserunt, Athenagoras, Theophilus,
 Clemens Alexandrinus, Theodoretus: quo & insigne opus pertinet, quod
 de CIVITATE DEI Augustinus scripsit. Intelligi hinc potest, quam bene
 consulatur rei Christianae, & euangelicae, si diuinarum litterarum non so-
 lum autoritas asseratur; sed vsus commendetur pueris nascentibus, atque
 ideo THEOLOGIAE GRAMMATICAE ratio habeatur in scholis inferio-
 ribus, & inter prima liberalium artium rudimenta, & litterariae institutionis
 tirocinia: nec non si adolescens in spem rei Christianae, excultorum inge-
 niorum opibus ornandae, iuuentus solidis imbuatur sacrae, philosophicae-
 que antiquitatis documentis. Ita instituti pares sunt explodendis omnibus
 maleferiarum commentis, qui specie oppugnandae superstitionis omnem
 pietatem, & religionem oppugnant. Nisi plenus his litteris esset Helmsta-
 diensis academiae decus, IO. LAVR. MOSHEMIVS, non tam feliciter pro-
 fligaret IO. TOLANDI operosas machinas, quibus euersum it, quantum in
 ipso est, omnem sacrorum Christianorum fidem, autoritatemque: quarum
 architectum esse indefessum nec senem piget, quamuis iuuenis male multa-
 tus esset propter malas has artes. Has autem egregius ille nostra tempestate
 theologus non ingenii, & copiosae eruditionis ostentandae causa aggredi-
 tur, & explodere temere instituit. Constat, quid ausus sit temerarius im-
 piorum commentorum autor, qui non dubitauit, praecipuas Germaniae
 aulas, & procerum aures praefens imbuere impietatis in artis pene formam
 redactae disciplina, nec adhuc desinit confirmare quos credidit ad vulgata sua
 placita vicunque respicere. Vix ergo tacere potuerunt theologi nostrates,

cum summe reuerendo Buddeo laudatus MOSHEMIVS, si sui muneris esse crediderunt, sanare procerum de rebus sacris iudicia, & profanis, quantum in ipsis est, corruptelis intercedere. Quam conscius huius officii sit, ipsius verbis referre liceat, quibus COGITATIONES suas in noui foederis locis selectiores lectoribus commendat: *Qui theologi vocantur, nulli sunt reuera, quam sacrarum litterarum interpretes, quorum in hoc vnice versari debet industria, ut oraculorum diuinorum explorent sensus, inuentosque ad leuandam mortalium infelicitatem, & miseriam adhibeant, vel ab humanae TEMERITATIS COMMENTIS vindicent.* Nulli ergo eorum, quos hoc munere dignos indicauit supremus ecclesiae DOMINVS, rectius officii partes sustinent, quam illi, qui in codice diuino illustrando non minimam temporis sui partem collocant. Quid autem profanos ardeliones impellat in temeritatem, idem scite aperit in COMMENTATIONE de vita, fati, & scriptis Io. Tolandi: *Mirabili a pueritia flagrabat inclarescendi cupiditate. Huic consultum iri existimabat, si antiquis hominum opinionibus bellum indiceret, consuetisque de religione sententiis nouas opponeret.* Et paullo post: *quam misera conditione sunt, quos honorum, gloriaeue vexat cupiditas?* Ab hac studiorum offensione, quae fraudi esse solet sensu celeribus, & ultra vulgarem captum ingenio promtis, quacque caussa esse potest, cur sacrarum etiam litterarum professionem multi malis corrumpant moribus, & prauis iudiciis, seque Tolando similibus profanis ardelionibus, improbisque litterarionibus praebeant insectandos, & deridendos, non rectius reuocari posse videntur incauti alumni, maxime propter ingeniorum fiduciam, & tirociniorum felicitatem in altitudinem conditi, quam repraesentatis clarioribus exemplis virorum, qui posthabitis vanis auctoramentis, & abiecta clarescendi, & huius vitae precii, opportunitatibusque affluendi cupiditate rebus humanis inprimis profuerunt. Tales sine dubio fuerunt prima euangelicae ecclesiae lumina, autoresque rectius de rebus sacris sentiendi, iudicandique post barbaram superiorum temporum superstitionem, tres videlicet MARTINI, LVTHERVS, BVCERVS, CHEMNITIVS, & qui medio temporum tractu intercessit, quo minus ab integritate sensus, morisque Christiani desciscerent euangelicam veritatem professi, maxime publicis calamitatibus, cladibusque, quibus Germania inuoluebatur, varie tentati, vexati, & pene oppressi, IOANNES GERHARDVS. Certe nulli horum defuit occasio emergendi, & occupandi magnae, humanaeque libidini gratiae, & optatae fortunae gradus. LVTHERVS si honori seruire voluisset, in purpura spectari, vel in summis ecclesiae praefecturis iactare se potuisset: quas ingenii, & elo-

quen-

quentiae celebritas illi facile conciliaffet: vel, sicut ERASMVS, summis antistitibus tolerabilis, probabilisque visus fuisset; nec se pro vero, rectoque in tanta famae, vitae, fortunarumque omnium pericula, & dimicationem perpetuam coniecisset. BVCERVS ordinis sui caput, propter ingenii praestantiam, & studiorum celebritatem, factus esset; nec viuo adeo laborandum, defuncto de fama periclitandum fuisset. CHEMNITIVS in magni PRINCIPIS aula honorato ministerio, & beato otio, cui imminebat, frui potuisset, si non potior illi fuisset laboriosa, & vulgo contempta sacrarum litterarum professio. GERHARDVS propter patriciae stirpis commendationem non obscurus vixisset in patria; in Galeni castris, qui opes dare dicitur, fortunas suas auxisset: ad sacras litteras ex illis transgressus lautissima ecclesiae praefectura, quales ceteratim suffragante illi ingenii, & scientiae celebritate in urbibus opulentissimis offerebantur, & pene obtrudebantur, frui commode potuisset; nec opus habuisset inhaerere delectae semel studiorum sedi, oblati alibi opportunitatibus destitutae, paternas opes profundere in litterariam suppellectilem, aliis magis, quam posteris suis, profuturam, propria praedia pro illorum temporum conditione incurfantium hostium libidini dare diripienda, atterere corporis vires lucubrando, & laborum cumulatorum contentione morbum, mortemque accelerare, nisi pro ornanda evangelica veritate, & pietate, missis aliis auctoramentis omnibus, omnes BEATI viri curae, cogitationesque euigilassent. Adeo integre, caste, & religiose in aditu, progressu, & vsu studiorum versati viri theologi, & summi litteratores, si rite colatur eorum memoria, accendere, ni fallor, possunt discipulorum studia, & prouocare rirones ad consectanda vestigia illorum potius, quam profanorum ardesionum amplectenda instituta, iuuenili blandientia cupiditati. Extantia illa sunt, & dudum approbata recte discendi, & agendi exempla, vt sine cunctatione aemulari illa possint erectioris indolis alumni: nec difficile fuit oratoribus nouitiis, ex obuiis monumentis illa repraesentare. Duorum priorum Martinorum acta, & dissensionem, qualis inter Petrum, & Paulum, Hieronymum, & Augustinum intercessit: quaeque aegre mitigari; tolli autem propter temporum iniuriam non potuit, B. Seckendorfius diligenter memorauit: atque primi adeo in luce posita, & abunde renouata est memoria, cum altera secularia solennia non ita pridem agerentur, vt crambon bis coctam apponeret, qui illam repeteret; posterioris autem, BVCERI studia, facta, & merita suis locis in Rhenano tractu, & Anglorum academia Cantabrigiensi insignia, parcius a nostratibus memoratur, quanquam sumtibus Io. Oporini Argentinae typis descripta historia vitae,

vitae, factorumque Bucer, & P. Fagii, nec non Catharinae Vermiliae iustae
 molis volumen impleat, sexti decimi seculi anno sexagesimo secundo publi-
 cata: ex qua Guilielmus Bateſius descripta quaedam BVCKERI memoriam
 illustrantia *vitae selectiorum aliquot virorum* inseruit, quas superioris seculi
 anno LXXXI Londini edidit. Lutheri studiosissimum, & concordiae inter
 Helucios theologos, & Lutherum faciendae praecipuum autorem; sed
 meritis, & confessionis constantia minorem BVCKERVM fuisse, collecta de
 eo, & sine nomine auctoris publicata testimonia theologorum Wittebergen-
 sium, Lipsiensium, Ienensium, Tubingensium, Rostochiensium, Altdorfen-
 sium, Stralsundensium, Stetiniensium, Vlmensium satis testantur. Postre-
 mus autem, MARTINVS, CHEMNITIVS videlicet, in Theophili Spizellii
 TEMPIO HONORIS RESERATO primum locum inuenit; IO, GER-
 HARDVS decimum septimum: quorum non semel typis descripta monu-
 menta expressam satis lectoribus virtutis, & meritorum, quibus illi clarue-
 runt, offerunt imaginem. Vnde dum nominati in fronte tabulae oratores
 delegerunt, quae ad insigniendam tam salutarium exemplorum auctoritatem
 pertinere visa sunt, & sermonum argumentum fecerunt, quos erastino die
 hora VII. ante meridiem in CLASSIS PRIMAE auditorio, vt solenni ritu
 anniuersariae lustrationis scholasticae initia dedicentur, quisque pro capto
 suo, sunt recitaturi,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI PATRONI, FAVTORESQVE,

vt pietati selectorum CLASSIS SELECTAE alumnorum faueant, & fre-
 quentes intersint panegyri, qua par est, obseruantia rogantur,
 P. P. cjo mccc xxvi. iulii xxix,



129 D: 7

